

1290. **HIBISCUS HISPIDUS** MILL. *Bot. reg. t. 806.* — Medicus inter *H. Trionum* Cav. et *H. vesicarium*. — *H. Humboldtii* Hortor. a citata icone non differt, nisi colore caulis viridi, non purpurascente. —
1293. **HIBISCUS TERNATUS** Cav. *Diss. p. 172. t. 64. f. 3.* — *H. Trionum* MB. *Flor. taur. cauc. II. p. 144.* — Species satis distincta a *H. Triono* Cav. Specimina ruthenica (e Tauria, Iberia, Mingrelia et Armenia) cum descriptione atque icone Cavanillesianis optime convenientur.
1300. **HIPPOCREPIS UNISILIQUOSA** LINN. Multum variat haec species quoad lomentorum numerum atque superficiem. Lomenta in aliis individuis sunt undique scabra, in aliis solum in parte media articulorum quasi barbata, in aliis denique nonnisi margine minutissime tuberculato-scabra, plerumque solitaria, interdum gemina. Haec ultima forma est *H. biflora*  $\beta$  *Indicis nostri quinti No. 1043*, quae crescit in regionibus trans-caucasicis. — Vera *H. biflora* a *H. unisiliquosa* differt foliolis ut plurimum non emarginatis et praesertim lomentis in apice pedunculi communis satis longi sitis.
1304. **HOLOSTEUM GLUTINOSUM** FISCH., MEY. *H. glaucum*; foliis superne cum caule sepalisque glanduloso-pilosis, summis subovatis basi coalitis; bracteolis (parvis) vix marginatis; floribus decandris; petalis oblongis subintegerrimis longitudine latitudineque sepala vix excedentibus. — *H. liniflorum* *Indic. nostr. tert. N 950 p. 39* (non Stev.) — Hab. in Tauria et ad mare Caspium. ♂, ♂.
1305. **HOLOSTEUM LINIFLORUM** STEV. *H. viride*; foliis superioribus cum caule sepalisque glanduloso-pilosis, summis lanceolatis basi distinctis; bracteolis (parvis) vix marginatis; floribus decandris; petalis obovatis integerrimis latitudine longitudineque sepala multo superantibus. — Hab. in Tauria. ♂, ♂.
1347. **HYOSCYAMUS VARIANS** VISIANI non diversus est, ex sententia cel. Reichenbachii uti ex observationibus nostris, a *H. canariensi*. —
1446. **LALLEMANDIA** FISCH., MEY. Calyx tubulosus, quin-